

Franckesche Stiftungen zu Halle

Rector Academiae Lipsiensis Sacra Iesv Christi Tu Keratos Tēs Sō Tērias Ēmon Natalitia Solenni Oratione Celebranda Indicit

Tietze, Immanuel

Lipsiae, [1721?]

VD18 90816714

Abschnitt

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-200407



Acra IESV CHRISTI, Servatoris nostri Optimi, natalitia, ab orbe Christiano pio festoque ritu solenniter peragenda, cum prope adsint, commodum in mentem venit recordari verborum, quibus sub ipsa Novi Fœderis auspicia instantem illius natalem, instinctu afflatuque divino, excepit ZACHARIAS, IOANNIS, τῆ Προδρόμου, pater, praesentemque in carne DEVM celebravit. Ita enim vir piissimus egregium illum, quem, recluso divinitus ore apertaue lingua, in laudem τῆ ΛΟΓΟΥ ἐσαρκωθέντος cecinit, hymnum orditur: Εὐλογητὸς Κύριος, ὁ Θεὸς τῆ Ἰσραὴλ, ὅτι ἐπέσκεψατο καὶ ἐποίησε λύτρωσιν τῷ λαῷ αὐτοῦ καὶ ἤγειρε ΚΕΡΑΣ ΣΩΤΗΡΙΑΣ ἡμῶν, ἐν τῷ ἔκκω Δαβὶδ τῆ παιδὸς αὐτοῦ καὶ ὡς ἐλάλησε διὰ στόματος τῶν ἁγίων, τῶν ἀπ' αἰῶνος προφητῶν αὐτοῦ. Benedixit Dominus, Deus Israel, quippe qui populum suum invisit, ut redemptionem ei afferat, excitando nobis CORNV SALVTIS in domo Davidis, servi sui, prout sanctorum suorum, qui ab orbe condito vaticinati sunt, Prophetarum ore praeuntyavit. (a) Nempe illuxerat desideratissimus dies, incarnationi Filii Dei ab aeterno destinatus, iamque summum illum orbis Liberatorem, adventu suo miseros beaturum mortales, τῇ τῆ Πνεύματος ἁγίου ἐπελεύσει, conceperat D. Virgo Maria, ac ipsum etiam appropinquaverat tempus, quo salutari ejus partu mundus exhilarandus erat. Itaque cœlesti luce collustratus ZACHARIAS, dum sanctissimum virgi-

(a) Luc. I, 68. 69. 70.

virginalis uteri foetum, brevi pariendum, venerabundus contem-
platur, æternumque Dei Filium, cœlo demissum, salutis nostræ cau-
sa, carnem assumpsisse cernit, admirandam hancce pariter atque au-
spicatissimam, Salvatoris nostri IESV CHRISTI ἐπιφάνειαν lætif-
simo animo prædicat, & immortales DEO gratias agit, quod tam
propitius esse voluerit populo suo, tantaque cum gratia non Ju-
dæos solum, sed etiam omnes omnino populos, τὰς ἐν σκότει καὶ σκιᾷ
θανάτου καὶ θημένους, respexerit, mittendo Filium suum, qui, ex fami-
lia Davidis, κατὰ σάρκα, oriundus, terras præfens inviseret, ac pro-
missam universo generi humano, eamque longe præstantissimam
& exoptatissimam, præstaret ΑΥΤΡΩΣΙΝ, i. e. *Redemptionem*, (b) ipso san-
guine suo, infiniti valoris pretio, conficiendam. Hæc igitur ver-
borum ZACHARIAE est sententia, quibus τὸ τῆς εὐσεβείας μυστή-
ριον ὁμολογεμένως μέγα, nempe præsentiam Filii Dei in carne, redun-
dantemque indead omne mortalium genus incomparabilem fru-
ctum, decantat. Quandoquidem autem singula, quæ divino isthoc
hymno continentur, eximia omnia & diligenti contemplatione,
hoc maxime tempore, dignissima expendere accuratius haud licet,
nunc tantum perelegantem illam reiue convenientissimam, qua
conceptus a Maria, Virgine, brevique nasciturus partus salutaris a
sacro ΤΜΝΩΔΩ designatur, appellationem considerare nobis con-
stitutum est. Etenim præsentem orbis Redemptorem, a Deo mis-
sum, commonstraturus ille, ἡγερε, inquit, ΚΕΡΑΣ ΣΩΤΗΡΙΑΣ ἡμῶν
ἐν τῷ οἴκῳ Δαβὶδ, τῇ παιδὶς αὐτοῦ, h. e. *excitavit nobis (Deus) CORNU SAL-*
LUTIS in domo servi sui, Davidis. Neque vero hic assentimur Cl. Vi-
ro, I. F. HOMBERGIO, qui, *Parerg. Sacr. p. 117*, Cornu Salutis inter-
pretatur *salutem abundantem & copiosam*, hancque suam interpreta-
tionem isto potissimum argumento confirmat, quod Cornu illud
nobis erectum esse dicatur, adeoque respectu nostri id ipsum in-
tuendum

(2

- (b) Αὐτρώσις proprie ejusmodi significat redemptionem, vel liberationem, qua
αὐτρώ, i. e. justo persoluto redemptionis pretio, captivi ex vinculis liberantur
& in plenam libertatem restituntur. v. HESYCHIVS in *vocibus* Αὐτρώ, Αὐτρώ, Αὐτρώμενον, & SVIDAS v. Αὐτρώ. Quo modo vox illa egregie
prorsus convenit Redemptori nostro IESV CHRISTO, qui sanguine suo
nos redemit. quam in rem conferri merentur annotata à CAMP. VI-
TRINGA, *Commentar. in Jes. cap. I. v. 27. p. 56.*

tuendum sit ut *salutiferum*, non vero sub notione *vis & roboris*; tum vero hanc significationem inter profanos etiam, Græcos & Latinos, receptam esse, notat, cum illi suum habeant *Κέρας Αμαλθείας*, & hi *Cornucopiæ* dicant, simili modo & notione. Etsi enim ultro libenterque agnoscimus, CHRISTI adventu copiosam abundantemque nobis obtigisse salutem, siquidem Deus declaravit τὸν ὑπερβᾶλλοντα πλεον τῆς χάριτος αὐτοῦ, ἐν χρηστότητι ἐφ' ἡμᾶς ἐν Χριστῷ. *Ihes.* *Eph.* II, 7, nobisque benedixit ἐν πάσῃ εὐλογίᾳ πνευματικῇ ἐν τοῖς ἔπερανίοις, ἐν Χριστῷ, *Eph.* I, 3; nec incommodè ipsum hoc sensu *Cornu Salutis* dici posse, existimamus, quippe qui gratia ἐπερίσσευσεν εἰς ἡμᾶς, in nostram salutem abundavit, *Eph.* I. 8. *conf. Rom.* V. 15. 17. & cuius ex plenitudine nos omnes accepimus χάριν ἀντὶ χάριτος, i. e. multiplicem uberrimamque gratiam, *Joh.* I. 16; hoc tamen loco περισσέειν, sive abundantiam, per *Cornu* denotari, negamus, quoniam isthæc vocis acceptio usui scriptorum sacrorum non convenit, ea vero, quæ de *Cornu Amaltheæ*, seu *Copia Cornu*, (c) quo tanquam abundantiae & fecunditatis symbolo usi sunt pagani, afferuntur, sanctissimi Viri, *Cornu Salutis*, in domo Davidis a Deo excitatum, concelebrantis, sententiæ explicandæ parum idonea aptaque esse videntur. Quare, utique ad Scripturam Veteris Testamenti unice respiciendum, ac inde veram τῆς Κέρατος Σωτηρίας significationem repetendam esse, judicamus. Quemadmodum enim divinus ille ZACHARIAE hymnus præclarissima, Prophetarum ore de Messia prolata, vaticinia præsentī in virginali utero Mariæ Salvatori nostro, IESV CHRISTO, applicat, ipsisque divorum Vatum phrasibus compositus est atque concinnatus; ita etiam genuinus harum sensus a solis Spiritus

- (c) *Cornu Amaltheæ*, ejusque mythicam originem copiose describunt EVSTATHIVS, Παρυσίου in *Homeri Iliad.* N. p. 817. Ed. Rom. & PALÆPHATVS, de *Incred. Hist.* c. 46. Conferantur Lexicographi Græci, HESYCHIVS atque SVIDAS in v. Κέρας Αμαλθείας, itemque Παράμιογραφοι, ZENOBIVS, *Proverb. Cent.* II. n. 48. DIOGENIANVS, *Centur.* I. n. 64. APOSTOLIVS, *Cent.* II. n. 86. ERASMVS in *Adagiis*. Nempe, notante ZENOBIO, Κέρας Αμαλθείας in proverbio dicitur, ἐπὶ τῶν ἀφθόνως τῇ παρρησίᾳ τὰς τῶν πλεονεξίας, de iis, qui affatim alicui divitiarum penū copiamque præstant; quod is, qui Amaltheæ cornu haberet, secundum vet. Mythologiam, nulla re indigeret.

(quem quidem radiantem Mosis vultum in *cornutum* perperam transformavit Vulgatus Interpres) ita etiam simili ratione nomini קרן radii, splendoris (f) notio competat, unde porro ad δόξαν, gloriam, decus atque dignitatem significandam aptissime illud transtertur. Iam vero ex duabus illis notionibus conjunctis, observante HAMMONDO, in *Annotat. ad Luc. I. 69. tertia* exsurgit, regiae nempe potestatis. (g) Etenim Cornua in visionibus sacris Danielis, cap. VII. & VIII. Zachariae I. 18. seqq. & Joannis, Apoc. XIII. XVII. symbola sunt regnorum, ac ipsos Reges designant. (h) Huc pertinet, quod inter ipsas olim gentes Cornu, Regium fuerit insigne, id quod vel ALEXANDRI M. ejusdemque successorum nummi testantur, cornuta effigie notati; quos quidem, pro incomparabili sua doctrina, eruditissime explicavit Perillustris SPANHEMIVS in praestantissimo *de Praestantia & Usu Numismatum Antiquorum Opere*, Tom. I. Diff. VII. p. 387. seqq. Et hic quidem regiae potestatis dignitatisque significatus optime congruit illis locis, in quibus exaltatio Cornu Messiae, vel exortus illius praedicitur, v. c. 1. Sam. II. 10. Ps. LXXXIX. 25. CXXXII. 17. Ezech. XXIX. 21. quippe quibus vel regnum Messiae, vel ipse, tanquam Rex Zionis atque domus Israelis, vocabulo קרן denotatur. Quod si nunc dispiciendum nobis est, quinam ex his קרן significatibus, in V. T. usurpatis, τῷ ΚΕΡΑΤΙ Σωτηρίας, CORNU Salutis, in hymno ZACHARIAE attribuendus sit, doctissimos hinc interpretes sententiis inter se

(f) Sic non solum קרנים cornua, Habac. III. 4. radios splendentes plurimi interpretantur, verum etiam doctissimus STEPH. LE MOYNE קרן de luce oriente & splendore exponit, in illustri illo de Messia oraculo, Ps. CXXXII. 17. אצמיח קרן לירייה faciam oriri cornu Davidi; i. e. lumen & splendorem eximium. vid. Ejus *Dissertatio ad Jerem. XXIII. 6. de Jehova Justitia nostra*, cap. 2. p. 39.

(g) Rectius ita ratio redditur, cur קרן regiam potestatem & regnum designet, quam, si cum THEOPHYLACTO l. f. c. dixeris, hoc ideo fieri, quoniam οἱ βασιλεῖς κέρατι ἐχρίοντο, Reges ex cornu ungebantur. Τὸ κέρατος autem in sacris litteris inter alia denotare δόξαν βασιλείαν, observatum quoque CYRILLO ALEXANDR. in cap. V. Jof. p. 78.

(h) Dan. VII. 24. מלכות עשר מלכותה עשרה מלכין וקרניה Apoc. XVII. 12. Καὶ τὰ ὄντα κέρατα, αἱ εἰδὲς, δέκα ΒΑΣΙΛΕΙΣ Εἰσιν.

se differre deprehendimus, siquidem alii (i) per τὸ κέρας σωτηρίας, in domo Davidis excitatum, salutem praepotentem, vel potentiam salutarem, alii (k) salvatorem potentem, alii (l) eminentem atque illustrem in familia Davidis dominatorem, alii (m) Regnum salutiferum, alii denique (n) Regem Servatorem, vel salutem praestantem, significari, volunt. Sed quandoquidem, allatas sententias omnes singulatim examinare, praesentis instituti ratio haud patitur, tantum quid nobis videatur, breviter edisseremus. Enimvero, cum ex contextu omnibusque circumstantiis satis appareat, personam, ex semine Davidis κατὰ σάρα oriundam, praesentem nimirum in utero Mariae Virginis CHRISTVM, hac appellatione designari, quemadmodum etiam David DEVM ipsum קרן ישועתו *Cornu salutis suae* vocat, 2. Sam. XXII, 3. Ps. XVIII, 3. tum vero certum exploratumque sit, ZACHARIAM Cornu salutis, a Deo missum, decantando, ad V. T. de illo excitando oracula, & in primis ad Ps. CXXXII. v. 17. respexisse, ubi Deus iisdem fere verbis promisit : שם נצמח קרן לדוד, Εκεί ἐξανατελῶ κέρας τῷ Δαβὶδ, Ibi (Zione) oriri faciam cornu Davidi; conf. Ezech. XXIX. 21. in his autem locis vocabulo קרן *Regem Messiam* significari, jam supra fuerit notatum: non aliā certe τὸ Κέρας in hymno ZACHARIAE accipiendum esse notione, hincque adeo, addito Σωτηρίας nomine, per CORNU SALVTIS, *Regem Servatorem*, exoptatissimam populo suo *Salutem* afferentem, designari, judicamus. Quo modo vir nomine Dei afflatus eum, qui ex Maria Virgine, adeoque ex familia Davidis, jam nascendus, & tanquam potentissimus populi sui Rex atque Redemptor, mox praesentia sua orbem terrarum beaturus erat, nempe CHRISTVM IESVM, suis nominibus appellat. Similis est & maxime gemina appellatio, cum in Scriptura Novi Foederis idem vocatur ἀρχηγός καὶ σωτὴρ, Act. V. 31. ἀρχηγός

- (i) VATABLVS nimirum, IANSENIVS, CAMERARIVS, DORSCHÉVS, GLASSIVS, *Philol. S. L. III. tr. I. p. m. 635.*
- (k) R. SIMON, DE BEAUSOBRE & LENFANT, MARTIANAY *Tr. Method. d'expliquer l'Ecriture* p. 315. sq.
- (l) IOH. VORSTIVS, *Philol. Sacr. cap. 3. p. 104. sq.*
- (m) THEOPHYLACTVS, GROTIVS, FESSEL. *Advers. Sacr. L. IX. p. 407.*
- (n) CALOV. SEB. SCHMID. BEZA, HAMMONDVS, &c.

χηγὸς τῆς σωτηρίας ἡμῶν, Hebr. II, 10. nostraque inde interpretatio
 haud parum firmatur, quam & Gabrielis angeli verba, quibus con-
 ceptionem nativitatemque CHRISTI Virgini Θεοτόκῳ annuntiavit,
 maximopere illustrent; ut cetera, quæ huc pertinent, nunc tacea-
 mus. Etenim, quod superest, summam illam lætitiā felicitatem-
 que recogitare, juvat, quæ, hoc SALVTIS CORNV erecto, non
 Israeli solum, verum καὶ παντὶ λαῷ, omni etiam populo, ac speciatim
 nobis quoque obtigit. Quare gaudiis exultantes, benedicamus
 DEO, ὅτι ἐπεσκέψατο καὶ ἐποίησε λύτρωσιν τῷ λαῷ αὐτοῦ, καὶ ἤγειρε KE-
 ΡΑΣ ΣΩΤΗΡΙΑΣ ἡμῶν ἐν τῷ οἴκῳ Δαβὶδ, κ. τ. λ. quæque proxime instant,
 Sacra IESV CHRISTI, Regis atque Servatoris nostri Optimi
 Maximi, natalicia condigne, & pro eo, ac par est, celebremus.
 Cumque ipsa feria magna, a Viro Juvene Præstantissimo, Dn. JOH.
 GOTTLIEB GERHARDO, Martisburgenfi, S. Theol. Cultore
 Studiosissimo, solennis oratio de admirando, eoque vero B. Mariæ Virgi-
 nis Filio, H. L. Q. C. habenda sit, VTRIVSQUE REIP. PROCERES
 GRAVISSIMOS, ut & GENEROSISS. NOBILISSIMOSQUE
 ACADEMIAE CIVES, ad illam audiendam perofficiose per-
 amanterque invitamus. P. P. Dom. IV Adventus
 A. N. C. MDCCXXI.

LIPSIAE,
 LITERIS IMMANVELIS TITII.

